

*apparator, quam ea, quae temere et nullo consilio administratur. Exercitus is, cui praepositus est sapiens et callidus imperator, omnibus partibus commodius regitur, quam is, qui stultitia et temeritate alicujus administratur. Eadem navigii ratio est. Nam navis optime cursum conficit ea, quae scientissimo gubernatore utitur. Quum propositio sit hoc pacto approbata, et duae partes transierint ratiocinationis, tertia in parte ajunt, quod ostendere velis, id ex vi propositionis oportere assumere, hoc pacto: Nihil autem omnium rerum melius, quam omnis mundus, administratur. Hujus assumptionis quarto in loco aliam porro inducunt approbationem, hoc modo: Nam et signorum ortus et obitus definitum quemdam ordinem servant, et annuae commutationes, et diurnae nocturnaeque vicissitudines non modo quadam ex necessitate semper eodem modo fiunt; verum ad utilitates quoque rerum omnium sunt accommodatae, nec ulla in re unquam mutatae quidquam nocuerunt. Quae signo sunt omnia, non mediocri quodam consilio naturam mundi administrari. Quinto inducunt loco complexionem, quae aut id infert solum, quod ex omnibus partibus cogitur, hoc modo: Consilio igitur mundus administratur: aut unum in locum quum conduxerit breviter et propositionem et assumptionem, adjungit, quid ex his conficiatur, ad hunc modum: Quod si melius geruntur ea, quae consilio, quam quae sine consilio administrantur: nihil autem omnium rerum melius administratur, quam omnis mundus; consilio igitur mundus administratur. Quinquepartitam igitur hoc pacto putant esse argumentationem.*

Qui autem tripartitam esse dicunt, ii non aliter putant tractari oportere argumentationem, sed partitionem horum reprehendunt. Negant enim neque a propositione, neque ab assumptione approbationes earum separari oportere, neque propositionem absolutam, neque assumptionem sibi perfectam videri, quae approbatione confirmata non sit. Quare quas